



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **USBEKISTANIAE*ADMINISTRATIO**

APOSTOLICA CONDITUR IN USBEKISTANIA Totius dominici gregis procuracionem, ab ipso Iesu Nobis commissam, summa diligentia agere properamus, ut eiusdem salutaria beneficia et praecepta omnia loca contingant cunctosque efficaciter populos. Idcirco Nos res disponere festinamus ut hoc facilius commodiusque contingat ad omnium fidelium spiritalem utilitatem. Pro Apostolicae Nostrae auctoritatis potestatisque amplitudine hoc statuimus et decernimus. Missionem sui iuris in Republica Usbekistaniae ad gradum dignitatemque Administrationis Apostolicae evehimus et eam pariter curis ac pastoralibus sollicitudinibus sodalium Ordinis Fratrum Minorum Conventualium committimus. Concedimus simul universa iura, officia privilegiaque quae ad id genus dictiones attinent, secundum iuris canonici leges Ecclesiaeque praescripta. Ceterum magna Nos sumus spe, valde quidem ad laborantibus sancti Francisci sodalibus ipsisque Domini in vinea sedulo operantibus, fore ut inibi Evangelii semen, affatim lateque sparsum, mox magnum capiat incrementum, unde Domini Iesu salus quam plurimos complectatur ibidem gentes. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die primo mensis Aprilis, anno Domini bismillesimo quinto, Pontificatus Nostri septimo et vicesimo.

ANGELUS card. SODANO	CRESCENTIUS card. SEPE
<i>Secretarius Status</i>	<i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>

Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

Cornelius Civili, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. XCVII (2005), n. 4, p. 377

